

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

15 Aug

VI-14

L. J. G. G. G.  
1779

ГБ ОНУ имени И. Мечникова

I. GOTHOFREDI  
DE  
CENOTAPHIO,  
DEQVE DIVERSIS, SVPER EIVS RELIGIONE,  
VLPANI ET MARCIANI SENTENTIIS,  
DIATRIBA.

---

GENEVÆ MDCXXXIV.

---

RECUSA HELMSTADII  
LITERIS PAVLI DIET. SCHNORRII ACAD. TYPOGR.  
MDCCXXXII.

Lib. II. f. 7.

Lib. II. II. k. 7.

Hofm

TIT. DE RERVM DIVISIONE.

*Lex 6. MARCIANVS Lib. 3. Instit.*

§. 4. Religiosum autem locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.

*Et post,*

§. *ult.* Cenotaphium quoque MAGIS PLACET, locum esse religiosum: sicut testis in ea re est Virgilius.

*Lex 7. VLPIANVS lib. 25. ad Edictum.*

Sed Divi Fratres contra rescripserunt.

TIT. DE RELIGIOSIS.

*Lex 6. VLPIANVS lib. 25. ad Edictum.*

§. 1. Si adhuc monumentum purum est, poterit quis hoc vendere & donare. Si Cenotaphium sit, posse hoc venire dicendum est: nec enim esse hoc religiosum, Divi Fratres rescripserunt.

AMICO SVO  
OPTIMÆ ET RARISSIMÆ FIDEI,  
D. IVSTO HENRICO HEIDFELDIO

IACOBVS GOTHOFREDVS  
ICTus.

**S**Oles me, Vir Amantissime, priuatas inter fabulas, vt affidue, ita peramanter, quod ingenium tuum est, urgere, ut quæ pridem in me recepi, *Casuandi videlicet artem & Antinomicum*, ea tandem aliquando præstem. Ego vero contra moras necto pedemque struo, qui id iis relictum omnino velim, quibus otii plus præfidiue esse possit: quo utroque certe iuxta opus, si quid, hodie potissimum, melioris venæ notæque promittitur procuditurve. Et tamen, quod bonæ fidei debitores solent, vt partiaria, sæpeque modica, solutione creditoris interim animum teneant, idem & ego nunc præsto, vel breuissima hac Diatriba: Cuius hic finis vnicus, quo Iuris studiosis ostendam, quam arte, quo sic vt dicam castu, quoque apparatu, veterum Prudentum leges Pandectis indicæ, adgrediundæ sint: Quod & ipsum nuper circa Imperatorum Constitutiones Codici insertas, Historico Discursu, palam facere annisum sum. Eam vero Tibi inscribere visum: non modo quia hæc quotidianæ efflagitationis tuæ strictura est, verum & quia, haud alium temere Iudicem quam temetipsum huic scriptioni æquiores feram. Sed & singularis ille tuus in me affectus, diu est cum hostimentum aliquod reposcit. Quod quidem aptius nullum in præsens sese mihi nunc dat, quam hoc ipsum, amicitia deinceps nostræ Monumentum futurum. Cui addo & vota, pro processibus olim tuis, quos hac morum probitate, animique candore, & iudicii dexteritate mereris, in dies mage-maioribus. Tu contra amare me perge.

IACO-



IACOBI GOTHOFREDI ICTi  
DE  
CENOTAPHIO  
DIATRIBA.

**T**emplorum religioni proxima olim Iure Pontificio sepulchrorum religio, seu sanctitas, erat. Quare & hæc, pariter ut illa, humanis usibus non parebant. Num eadem vero *Cenotaphiorum* quoque religio habenda esset, quæsitum iam olim. Quo pertinet illa etiam, apud Sopatrum, *commentatio in Rhetoricam Hermogenis*, controversia, utrum *τυμβωρυχίας*, seu sepulchri violati reus, agi possit, *ὁ κενόταφιον διαρύξας*, qui cenotaphium diruit.

CENOTAPHIVM, vel solo Græci nominis iudicio, est, *inanis tumulus*, quomodo a Virgilio vocatur, *tertia Æneide v. 304.* tumulus sine corpore, Ouidio, *Metamorph. κενὸν μνημα* Pausaniæ, *Atticis pag. 2.* Neque tamen (quod nonnulli post Glossam, hac etiam literarum luce commiscunt) monumentum cadaveri destinatum, paratumque ad sepeliendum, in quod cadaver nondum illatum est, seu purum adhuc: id enim a cenotaphio clare distinguitur *l. 6. §. 1. D. de religiosis.* Neque etiam sepulchrum, quo cadaver olim illatum fuit, vnde vero cadaver hodie alio translatum est: Verum, nudus *tumulus honorarius*, quomodo vocatur a Suetonio, *Claudio cap. 1.* monumentum memoriæ causa positum, Florentino, *l. monumentum 42. D. de religiosis*: *ψευδοτάφιον* Philostrato, *vt. de vita Apollonii*

A 3

vt.

ult. in fin. quo scilicet neque cadauer aliquando illatum fuit : neque in id positum est, vt aliquando inferatur.

Cenotaphia porro duum generum deprehendo : alia quippe ex officio Pietatis, seu pietatis gratia & necessitate quadam fiebant, alia vero ex mero Honore. Pietatis scilicet in defunctos pars hæc olim erat, ut quorum reliquiæ non apparerent, seu iustam sepulturam non haberent, quia scilicet peregre vel in acie desiderati, vel naufragio amissi erant, inanes iis tumulos ponerent, tumulique solemnina solverent : de quo est quoque Xenophontis locus *lib. 6. ἀναβάσις*. Deque his accipiendi sunt textus iuris, de quibus mox : ut & Virgilii loca : sunt & Ovidii, *lib. 2. Metam.* & Luciani *lib. 9.* & Achillis Tatii, *lib. 5.* Ideo nempe, quia animæ umbræque insepulcorum, seu iusto sepulchro non conditæ, palare vagarique, neque prius apud inferos recipi, crederentur, quam iusta recepissent. Et hæc quidem cenotaphia fuerunt, ex pietatis officio posita. Sed & illustribus & principibus quandoque viris, quorum reliquiæ alibi sepulchris conditæ erant, atque adeo quamlibet rite sepultis, peculiari siue affectu, siue adulatione, Cenotaphia & *νεκρώα* alibi, publicis aliquando decretis, excitari solita, quo eorum memoria amplius celebraretur. Quod quidem *gloriæ munus* vocat Cicero, *Philipp. 14. cap. 13.* Dio *lib. 55.* *τιμὴν νεκρώασις*, quod & *τιμὰς εἰκότων καὶ ἀψίδος* *ibidem* iungit : de quo est elegans quoque Dionysii Halicarnassei locus, *lib. 1.* Cuiusmodi cenotaphiorum frequens mentio apud Suetonium, *Claudio cap. 1.* Tacitum, *lib. 2.* Dionem *lib. 55.* & *lib. 77. in Xiphilini pag. 878.* & *Constantiniani* (quas a V. CL. D. Fabricio Peirescio, Senatore Aquisextiensi amico meo summo acceptas, Doctissimus Valerius nuper edidit.) Lampridium, *in vita Alexandri Severi, cap. 57.* Vopiscum

*in vita Floriani cap. 9.* Hyginum, *in fabulis, &c.* Sic ergo *Cenotaphium* & *honorarius tumulus* idem fuere, quæ tamen nonnulli perperam distinguunt : cum distinguere tantum debuerint cenotaphia ex pietatis officio. & solo honore facta.

Et hæc quidem duo propria Cenotaphiorum genera fuere. At quorum instar tamen, seu translatione quadam, *νεκρώασις* quoque dicta sunt inanes hominum mortuorum imagines, apud Græcos Interpretes *primo Regum,* & apud Suidam. Item & ea monumenta, quæ Pythagoræi his qui a Philosophia deficerent, tanquam mortuis excitabant, Cenotaphia dici potuerunt : teste Clemente Alexandrino, *lib. 5. Stromatum pag. 419.* & Origene, *contra Celsum.*

De iis Cenotaphiis, quæ ex Pietatis officio excitantur, nunc sermo est, de quibus inter se dissensere Vlpianus & Marcianus Icti. Vlpianus scilicet, *lib. 25. ad Edictum* (quo quidem libro is Edictum de religiosis & de sepulchro violato interpretatus fuerat, vti docent quatuordecim leges, exinde in *tit. D. de religiosis* coniectæ, vt & *l. 3. D. de sepulchro violato*, indidem desumpta) *Cenotaphium* venire posse scripsit : allegato in id Diuorum Fratrum (id est Marci & Veri rescripto : ) Quo in genere ii definiuerant, *Cenotaphium locum religiosum non esse.* Idque duobus Pandectarum locis ex eo Vlpiani libro relatum extat, puta *l. 7. D. de rer. divis. & l. 6. §. 1. D. de religiosis.* ita tamen, ut sola rescripti sententia memoretur in *d. l. 7.* in altera vero lege, puta *d. l. 6. §. 1.* Vlpiane simul indicii prærogatiua addatur : *Si Cenotaphium, inquit, sit, posse hoc venire DICENDVM est : nec enim esse hoc religiosum Diui fratres rescripserunt.*

Et Marcianus tamen, *l. 6. in fin. D. de religiosis.* (cui

proxime, ceu contraria *lex illa* 7. a Triboniano subiecta fuit) scribit: *Cenotaphium quoque MAGIS PLACET, locum esse religiosum*: adducto in id Virgiliti testimonio: *Sicut, inquit, testis in ea re est Virgilius*. Idque a Marciano scriptum, libris Institutionum: quibus alioquin quod in ipsis rerum obtinet argumentis, studiosis ferme proponi solet: ac nominatim *libro tertio Institutionum*, quo is de rerum divisione in genere, mox & de rebus religiosis ex professo egerat: & distincte quidem de monumentis in quæ corpora illata sunt, & de Cenotaphiis: vt fidem facit, non tantum *lex* 2. 4. 6. & *tota lex illa* 6. *D. de rer. diuis.* verum etiam *l. 39. D. de religiosis* & *l. 7. D. de sepulchro violato*. quæ ex eo libro tertio desumptæ sunt. Qui idem alioquin iisdem Institutionum libris, puta *l. 14. definiuit, non fieri locum religiosum, ubi thesaurus inuenitur, l. 4. §. 6. D. ad leg. Iul. peculatus*.

Hinc igitur solemne iam istud nonnullorum iudicio Iuris inter Marcianum & Vlpianum Enantiophanes habetur: cui conciliando nihil non ferme tentatum hactenus fuit ex iis, quæ ad alia *ἐναντιοφάνη* adhiberi solent, non tantum ab his qui *Leges illas interpretati* sunt, vel etiam qui *Conciliationes Legum* ex professo scripsere, verum ab iis quoque qui de *Iure Manium* scripsere, quique *funerum ritus* executi sunt.

I. Magna certe *ἀνισογνωσία* fuit nonnullorum etiam qui ex professo *Vitas Iurisconsultorum* scripsere, qui Marcianum ante rescriptum Diuorum Fratrum scripsisse, & quidem sub Antonino Pio quoque, autumarunt. Cum non tantum ex Lampridio discere liceat, Marcianum diu post Diuos Fratres, Alexandro Severo Imp. coætaneum fuisse: verum etiam ex Marciano ipsomet liqueat, eum post Diuos Fratres scripsisse, vtpote, quorum *Diuorum* rescri-

pta

pta passim alleget, etiam eo ipso libro tertio Institutionum, puta *l. 39. D. de religiosis*: & *l. 1. D. de collegiis*. & quidem (quod summopere notandum) *eal. 39. Edictum Diuorum Fratrum de sepulchro, iustaque sepultura, & translatione corporis*. Imo Marcianus ipse, post Papinianum (ad quem etiam Notas scripsit) & Diuum Seuerum scripsisse se infinitis locis testatur, &, ut ipse colligo, statim post mortem Seueri. Quod tamen ipsum admirationem augeat, quomodo, inquam, Marcianus scripsisse potuerit, *Cenotaphium magis placere religiosum esse*: cum tamen Diui Fratres contra, quod ignorasse eum verosimile non est, iam rescripsissent.

II. Neque probandi sunt ii, qui hac *distinctione* rem componunt, quasi cenotaphium quamdiu cenotaphium duret, religiosum sit: eo vero dissoluto, quod vtique dissoluere seu diruere violareque liceat, religiosum amplius non sit. Nam vt omittam, nullum omnino distinctionis istius vestigium in Marciani Vlpianique legibus, nullum alibi apparere: sane hæc sententia *τὸ ἐν ἀρχῇ* supponit, quod cenotaphium violare dissoluereque liceat, quod vtique prius definiri oportuit: idque si semel pro certo posuissent Iurisconsulti, de cenotaphio vltius frustra quæsiuissent, vendine id aut donari posset, quod tamen Vlpianus *d. l. 6. §. 1. D. de religiosis* tractat.

III. Desperatum vero eorum remedium est, qui ad *Emendationem*, & geminam quidem confugiunt; quasi *l. 7. D. de rer. diuis.* non Vlpiano tribuenda sit, verum eidem Marciano, cuius est *d. l. 6. eod. tit.* proxime præcedens: & eo quidem argumento, quod Vlpiani verba longe aliter habeant in *d. l. 6. §. 1. D. de religiosis*. Tum deinde, verbis illis, *magis placet*, mutatis, in *maioribus placet* (dixissent illi saltem, *maioribus placuit*.) Verum, vt priori emendationi occurram, inscriptionem *d. l. 7.* sollicitari non

B

pati-

patitur hinc constans codicum omnium fides, & in his optima Florentini: inde, Legum ipsarum diuersitas: nam si *dicta l. 6. & 7.* eundem autorem & eodem quidem libro, haberent, certe non in duas leges diuulsæ, verum vno contextu, & sub vna lege propositæ, atque in vnam veluti lineam coniectæ eæ fuissent. Et quanquam non eadem vtrubique, & in *d. l. 7.* & in *d. l. 6. §. 1.* verba occurrant, eo tamen inter se tantum differunt, quod ea concisus a Triboniano relata fuerint in *d. l. 7.* paulo plenius vero in *d. l. 6. §. 1.* eadem semper sententia manente. Quod & in aliis pariter quamplurimis legibus sub diuersis titulis repetitis, a Triboniano factum passim videre est. Quod alteram quoque emendationem attinet, refutant eam pariter constanter omnes codices: quidquid etiam Græcus Interpres (cuius Græca non habemus) scripserit: præterquam quod non alius sensus est vtriusque formulæ, *magis placet*, & *magis placuit*, quibus olim Iurisconsulti promiscam eodem ferme semper sensu vsi sunt.

IV. Receptior ea ferme hodie conciliatio, seu distinctio est, ex quo primus eam ni fallor Alciatus commentus est, de alio atque alio Cenotaphii genere vtrubique agi: Virgilium quippe, quem Marcianus laudat, de eo Cenotaphio agere, ad quod *Aræ* positæ consecratæque erant quodque adeo sepulchrum magis erat, quam inanis tumulus: Diuorum vero Fratrum rescriptum, atque adeo Vlpianum, de vulgari tantum tumulo, ad memoriam peregre mortui facti, exaudiendum. Et ita quidem hæc conciliatio iam placuit, ut aliter tamen atque aliter res componatur: Sunt enim, qui Marcianum ipsum incusent, quasi is indefinite nimis scripserit, *Cenotaphium religiosum esse*, Virgilio in id teste citato: cum tamen Virgilii locus sit nominatim de sacro seu religioso tantum, vt ipsi vocant,

vocant, Cenotaphio, ad quod aræ positæ essent. Alii contra, criminis translatione, culpam, a Marciano in Tribonianum transferunt, qui Marciani Virgiliique sententiam, de sacro tantum Cenotaphio agentium, generaliter nimis ceperit, atque adeo Vlpianum cum Marciano commiserit. Sed neque hæc conciliatio placere potest: nam, ut omittam vtriusque, & Marciani & Triboniani, qui *πεποιθός* nimis hic accusantur, defensionem: suavis sane admodum hæc distinctio est, quæ Cenotaphium ex pietate factum, aliud nobis sacrum seu religiosum facit, profanum aliud; cuius distinctionis neque vola, neque vestigium vsquam comparet. Et quod de *Aris* ad Cenotaphia nonnulla tantum positis obseruant, atque inde Cenotaphium religiosum censent, erroneum est, uti mox ostendetur.

V. Neque quinta sextave quorundam sententia probabilior est, qui *Marcianum* eo nomine *incusant*, quasi falso Virgilium testem induxerit, tanquam is de *Aris* reuera positis consecratisque ab *Andromache* sensisset, vnde ipse mox Cenotaphium religiosum esse colligat, cum tamen Virgilius de *aris* tantum ab *Andromache* voto destinatis cogitauerit, ad non & sacratis, vtpote cum nemo priuatus sacrum per se efficere quidquam possit. Nam imo expressa Virgilii verba sunt, *sacrauerat aras*: quomodo & 5. *Aeneide* v. 48. *moestasque sacrauimus aras*: vbi etiam *Seruius*, *aras Diis manibus consecratas* interpretatur. Aræ scilicet huiusmodi, ad sepulchra seu Cenotaphia positæ a priuatis *sacratæ* omnino recte dici potuerunt; eodem videlicet iam sensu, quo religiosa quoque loca *sacra* dicebantur: quia scilicet, aræ *Diis Manibus sacræ* erant. Vnde & idem Virgilius *lib. 3. v. 63. stant Manibus aræ*. Sane ita quoque *sacra monumenta & sepulchra* dicuntur in



lege Tiberii, *de sepulchris*: sic monumentum consecrare, in *Nouella* Valentiniani: sic & in Græcis monumentis *ἱερός ἔ- τ' ὁ χώρος*: Sic & in Latinis, *Diis Manibus sacrum*: & aggeres consecrati, in Iuliani Imp. l. 5. *C.Th. de sepulch. viol.* imo & sepulchra *sacra*, teste Aelio Gallo *apud Festum*. Neque quicquam frequentius in veteribus monumentis, quam *loci sacri, consecrandique* vocibus.

His igitur sententiis missis omnibus, Virgilium ante omnia audire iuuat, quem hac in re testem laudat Marcianus. Qua tamen etiam parte controuersia est, de quonam Virgilii loco, & num de pluribus Virgilii locis Marcianus senserit. In eo certe iam omnes consentiunt, hunc Virgilii locum huc spectare qui occurrit *tertia Aeneide*: ubi de Cenotaphio Hectoris agit, v. 301. *seqq.*

*Solemnes tum forte dapes, & tristia dona  
Ante urbem, in luco falsi Simoëntis ad undam,  
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat  
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespide inanem  
Et geminas, causam lachrymis, sacrauerat aras.*

Ad quem locum Seruius scribit, *Manes Hectoreos sacrificiis, inani sepulturæ conciliatos*: mox, & inanem tumulum *Cenotaphium* interpretatur. Et hunc quidem locum Marcianum in mente habuisse, ceu uberiolem, Græci Interpretis quoque præiudicio, qui eum memorat, censeo: eius, inquam qui *κατὰ πόδα* dicitur, seu *τὸ πλατὺ τῶν νόμων*, libro *Basilicon* lib. 46. tit. 3. *de rer. diuis.* p. 58. Vnde coniiicere certo licet, Virgilii versus in *Pandectis* intercidisse: pariter vt Homeri versus in eiusdem Marciani l. 1. *D. de mortis causa donationibus*, intercedisse colligo ex §. 1. *Instit. de donationibus*. Vt scabiem proinde suam a velliscandis Budæi, vel etiam parentis mei, notis, qui hunc tantum Virgilii locum ad Marcianum notarunt, frigidus cen-

censores nonnullos abstinere deinceps moneam. Et eodem tamen pertinent alia insuper, non duo tantum, verum tria Virgilii loca, de Cenotaphiis: & duo quidem lib. 6. *Aeneidos*, quorum prius est de Palinuro (quem, vt ipse Paulo ante indicauerat, *fluctus habebant, versabantque in littore veni*) ad quem Sibylla ita canit, v. 379.

*- - tua - - - ossa piabunt*

*Et statuent tumulum, & tumulo solemnia mittent.*

Vbi Seruius rursus, *tumulum* recte *Cenotaphium* interpretatur. Posterior vero locus lib. 6. de Cenotaphio Deiphobi ab Aenea excitato, hic est, v. 505.

*- - tumulum Rhetæo in littore inanem*

*Constituit, magna & Manes voce citauit:*

Cui Deiphobus v. 510.

*Omnia Deiphobo soluisti, & funeris umbris.*

Vbi Seruius rationem reddit, cur omnia Deiphobo soluta dixerit; quia scilicet constituto tumulo Manes vocauit: vt & mox, cur funeris umbris dixerit, id est, sepulturæ umbris, quia scilicet funus illic esse non potuit, ubi nec cadauer quidem fuerat. Imo & Quartus insuper mihi locus, neque minus insignis, occurrit lib. 9. vbi Nysus ad Euryalum de Cenotaphio sibi in omnem euentum & subsidium erigendo: v. 213.

*Sit qui me raptum pugna, pretiose redemptum  
Mandet humo solita: aut si qua id fortuna vetabit,  
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro:*

Vbi Seruius, hoc est, *Cenotaphium* faciat, & impleat honorem sepulchri: Qui idem Seruius lib. 6. *Aeneid.* ibi v. 152.

*Sedibus hunc refer ante suis.*

Cenotaphii quoque meminit, quod Dido marito domifecit.

Atque haec quidem quatuor apud Virgilium loca mihi occurrunt de Cenotaphiis; quorum nullo tamen Virgilius Cenotaphium aperte *religiosum esse* definivit. Cur igitur Virgilium hac in re testem laudasse potuit Marcianus? Id vero sciemus, vbi resciverimus, quonam & alias sine Poëtis testimonium denunciare Iuri in more habuerint: & in his quidem Virgilio & Homero, etiam Marcianus ipse, his ipsis Institutionum libris *l. 65. §. 4. D. de legat. 3.* & exinde *§. 1. Inst. de L. Aquilia: & l. 1. D. de mortis causa donat.* Scilicet denunciare tantum soliti vbi de Vocis forte alicuius significato ageretur, vt *d. l. 65. §. 4. D. de legat. 3. l. non facile 4. §. 4. D. de gradib. l. qui venenum 36. D. de verbor. signif. 2.* vbi de Formula, seu formalibus quibusdam & τυπικαῖς vocabulis res esset: vt dicta *l. 1. D. de mortis causa donat. 3.* vbi Prouerbialis aliqua locutio vsurparetur, vt *l. si uxor 13. D. de adulteriis: & Iustin. in praefat. de ratione docendi discendique iuris. 4.* tandem, vbi de More aliquo veteri quaestio esset, vt *l. 1. D. de contrab. empt. & ex eo Instit. eod. tit. & l. 9. D. de supellectile legata. l. aut facta 16. D. de poenis.* Haecenus, inquam, Poëtis, Virgilio atque Homero, testimonium olim denunciatum a Iurisconsultis reperio: Ne iam operose amplius quaerant Pragmatici, quique de probationibus scripsere, an & quando auctoritates Poëtarum in causis sint allegandae, allegataeque probationem faciant. Quibus & ipsis Poëtis ideo denunciatum, & quidem a Marciano, his Institutionum libris, non tantum propter summam horum Poëtarum in commune auctoritatem, verum quia olim, vt per Poëticam, ita per Virgilium & Homerum nominatim, tanquam initiatores literaturae, ingenuitatis studia producebantur: quod etiam Tertullianus noster dixit, *libro ad Nationes cap. 10.* a quorum lectione calens adhuc adolescentum animus ad Iuris studia transmittebatur.

Ergo & Marcianus, eo Institutionum loco, qui relatus est in *d. l. 6. in fin. D. de rer. diuis.* Virgilium testem hac in re laudauit, non tanquam Iuris Ciuilis Interpretem, aut alicuius Iuris decisionis testem, verum tanquam Moris veteris religiosique indigitatorem: vnde tamen mox per consequens illud ipsum efficeretur, ceu a Virgilio re ipsa dictum indicatumve, *Cenotaphium, MAGIS PLACERE, religiosum esse.* Quinam vero Mos iste vetus & religiosus? Scilicet, id Virgilius, non priore tantum loco (quod nonnulli censent) verum superioribus omnibus ex æquo ostendere voluit, seu indicauit (quod Seruius ad eum discrete notauit, *lib. 6. Aeneid. v. 325.* ibi, *inops inhumataque turba*) *Tantum valere inanem seu imaginariam sepulturam*, id est, *Cenotaphium, quantum plenam sepulturam*: Imaginariam, inquam, sepulturam, quomodo & *imaginarium funus* aliquando ductum dictumque fuit; Quandoquidem ad Cenotaphia, pariter vt ad sepulchra, Manes cicerentur, cineri libaretur, ossa piarentur, inferiae umbris solverentur, & vt idem Seruius ait ad *v. 363. lib. 3. Aeneid. sacrificiis Manes conciliarentur: honosque sepulchri Cenotaphio impleretur*, hisque peractis umbræ a Charonte transveherentur, quasi sedibus suis ossa iam quiescerent: Denique, quod rite sepultus intelligeretur, qui vel ita conditus esset, etfi non humatus: Quomodo & *terrae iniectio* secundum Pontificalem ritum olim fiebat etiam circa absentium corpora, quibusdam solemnibus sacris, teste eodem Seruio, ad illa *lib. 6. Aeneid. v. 365. aut tu mihi terram Iniice.* Item, quomodo sepultura non rite perfecta, seu mortuo fortuita terra obruto, funus, seu sepultura iisdem ritibus instaurabatur, eodem Virgilio teste *lib. 3. Aen. vbi de Polydoro: seu legitima sepultura reddebatur*, vt Seruius ait.

Sic,

Sic, tanquam moris Iurisque Pontificii testem Virgilius hac in re laudavit Marcianus: cuius utique Virgilius scientissimus erat. Quod ut alii plures, ita Iulius Hyginus olim, libris, quos *de Virgilio* fecerat, expresse quoque observaverat, teste Gellio, *lib. 16. cap. 7.* & postea quoque Macrobius, integro *libro tertio* Saturnalium, per duodecim capita, comprobavit. Et in re quidem, quae moris Iurisque Pontificii maxime esset: nam, ut idem Macrobius scribit, *d. lib. 3. cap. 3.* inter decreta Pontificia hoc quaesitum maxime, quid *sacrum*, quid *sanctum*, quid *Religiosum* esset: idemque docet, Virgilium his vltum secundum suas definitiones, singulisque vocibus proprietatem suo more servasse.

Ex iis igitur, quae Virgilius de Cenotaphiis scripserat, collegit Marcianus, *cur MAGIS PLACERET, Cenotaphium quoque religiosum esse*: quia scilicet testis esset hac in re Virgilius, ex Iuris Pontificii disciplina, eosdem ritus eademque solemnia adhibita ad Cenotaphia, quae ad legitimam sepulturam: eundemque Cenotaphii, quem iusti sepulchri *fructum* credi. Non igitur propterea solum, quod *in memoriam humanae conditionis* factum id esset, quod quidem censent: non item propter sacrandi vocem, ibi, *sacrauerat aras*: rursus, non propter *Aras* simpliciter ibi positas: verum quia solemnibus ad Cenotaphia factis, non minus anima defuncti condi crederetur, quam sepulchro: atque exinde ab inferis recipi. Nam & ita sepulchrum, non propter aras ibi positas (quarum alioquin idem quoque Virgilius meminit *lib. 3. & 5.* multaque mentio earum in *veteribus monumentis* occurrit) religiosum erat, verum propter mortui illationem. Denique non *Ara* ipsae, per se, locum qui alias profanus futurus erat, religiosum fecere, verum actus ritusque religiosi, cum eodem

dem, uti credebatur, *effectu*. Quare & minus pense hic illud, ab iis, qui propter aras ibi positas, Cenotaphia, & quidem nonnulla tantum, religiosa habita putant, aptatur, *Quae religiosis adherent, religiosa quoque esse*, quod alioquin Paulus Ictus scripsit, *l. 48. D. de rei vind.* lib. 27. ad Edictum, quo is Edictum de religiosis interpretatus fuerat: Ac maxime, cum sententia illa ab hac specie plane diuersa sit, imo contraria: est enim ea, non de sacris rebus, veluti aris, ad res profanas adiectis, verum contra, est ea de profanis rebus, quae religiosis accedunt: & quidem ita, ut iniuncta inaedificataque sint, quae sane & ipsa religiosa efficiuntur: ut est tignum alienum iunctum alieno sepulchro, quod exemplum ibi diserte apponitur, quod & idem de statuis dicitur, *l. 2. D. de sepulchro violato*: non vero de iis quae monumentis adiacent, quae sane ipsa non omnia religiosa fuerunt, tantum abest ut per ea id quod religiosum non erat, religiosum fieret: *l. ade 73. D. de contrab. empt. l. 2. & 37. D. de religiosis: l. locum 9. C. eod. tit.*

Ex Pontificii igitur moris Iurisque disciplina, quo de Virgilius testimonium perhibebat, nonnullis magis placebat, Marciano teste, *Cenotaphium quoque religiosum esse*, ut maxime revera corpus in id illatum non esset, seu ut maxime iuris civilis ratio obtineretur. Nec quicquam etiam obstante (quod hic alioquin opponi solet) illa iuris regula, qua negatur, vnicam sepulturam plura sepulchra efficere posse: *l. cum in diuersis 44. D. de religiosis*: quia, neque in hac specie plura sepulchra efficiuntur, verum vnum tantum ponitur, & quidem imaginarium subsidariumque, quod ei scilicet ponitur, cuius corpus non comparet, quique adeo legitimo sepulchro caret. Nec quicquam rursus obstante *Rescripto Divorum Fratrum*:

trum : neque enim ea Rescriptorum olim vis & auctoritas erat, vt non postea Iurisconsulti adhuc quærent. De Rescriptis loquor, non vero de Edictis & Constitutionibus generalibus : ob causas iam notissimas : quibus hoc ipso Marciani tempore motus Marcrinus Imp. Iuris religiosissimus & amantissimus statuerat, *omnia Rescripta veterum Principum tollere, vt Iure, non Rescriptis ageretur.* Denique iam vulgaris observatio est, rescripta vim suam non habuisse semper, sæpeque ea memorari, at non ilico probari. Quanquam in hac de *Cenotaphio* quæstione, Vlpianus inter Iurisconsultos rescripto Divorum Fratrum subscripsit. Enimvero meram Iuris Ciuilis rationem Divi Fratres secuti fuerunt, quæ ex sola & reali mortui illatione ab eo qui ius haberet, locum religiosum æstimare solet : *l. 2. §. 5. D. de religiosis : & §. religiosum 9. Instit. de rer. divis. & Aelius Gallus apud Festum.* Et quis scit etiam, an non & ita Divi Fratres Antonini tum rescripserint, inter cæteras sepeliendi sepulchrorumque leges, quas memorat Capitolinus, *in Marco cap. 13.* (e quarum numero est quoque Edictum Divorum Fratrum, quod memoratur a Marciano nostro ipso, eodem libro *l. Diui Fratres 39. D. de religiosis* : ut & rescriptum quod memorat Callistratus *l. 3. D. de in ius voc. iuncta l. 36. D. de iudiciis*) quibus Divi Fratres, magna tum pestilentia grassante, modo sepeliendi definiverunt : atque adeo inter cætera, ad eam quoque causam, *Cenotaphia*, quæ ingenti numero erant, vendendi donandique, ut in his scilicet cadauera sepelirentur potestatem fecerint ? Vt vt postremum istud sit, quod coniecturam tantum sapit, alii certe contra ex more Iureque Pontificio, etiam ex imaginaria mortui illatione, quæ scilicet fiebat Manibus vocatis, ossibusque piatis, & sic sepulchro quasi con-

conditis, religiosum locum æstimavere. Propterea igitur Marcianus scripsit, *MAGIS PLACVISSE, Cenotaphium quoque religiosum esse, ut in hac re testis sit Virgilius.* Et forte, *Magis quoque Theologis* : quæ & ipsa coniectura tantum est, quorum vt olim, ita & hoc Marciani ævo peculiaris quædam religio seu Theologia fuit, a Zoroastre & Ostane derivata : Quare videas Magos, ceu singularis in Theologia sententiæ laudari. Ita sane Nigidius, *lib. 4. de Diis*, apud Seruium *in Eclog. 4.* testatur, Magos peculiare Deorum ætates & regna distinxisse : Ac nominatim hac in re : quia Magicæ pars fuit, Manium citatio seu evocatio. De qua sive *νεκρομαντία*, siue *σκιομαντία*, & *ψυχαγωγία*, infinita sunt testimonia, etiam apud Tertullianum, hoc ipso tempore, maxime *libro de Anima.* Et vero Antoninus Caracalla ipse (sub quo Marcianus & Vlpianus egere) non in commune tantum Magis delectatus dicitur, eaque de causa *ἡρώων* Apollonio excitasse, verum & de eo nominatim Dio scribit, *lib. 77.* (& apud Xiphilinum & in *Peirescianis*) quod cum is ægra mente esset, *ἐψυχαγωγῆσαι ἀλλὰς τέ τινας καὶ τὴν τῆ πατρὸς καὶ τῆ το Κομμόδου ψυχὴν*, Sed et Herodianus *lib. 4. n. 23.* de eodem Caracalla scribit, eum Romæ magos omnes undique conquiri iussisse, ut evocatis Manibus, de fine vitæ suæ, deque iis, qui Imperio ipsius insidiarentur, consulerent, *νεκρία τε χρησάμενον.* Cæterum, vt hæc Manium evocatio ad sepulchra fiebat, unde passim Poëtæ dixere, *Manes excire*, vel *evocare sepulchris*, ita & Manes pariter citati vocatique ad *Cenotaphia*, quod vel ex superioribus Virgilii locis liquet :

Ergo, videri cui possit Marcianus, verbis illis, *MAGIS PLACET*, non magis probabilem ex Iuris Pontificii disciplina sententiam, sibi que adeo (quem gentilitiæ superstitionis & sepulturæ quidem religiosissimum fuisse de-

pre-

prehendo) probatam, indicasse, quam peculiare *Magorum* quoque placitum : Cuius alioquin *Magicæ Theologiæ* scientissimus quoque fuit *Virgilius* : ut qui de *Deorum* evocationibus quoque agat, deque sacris quæ *Diis inferis* fiebant, multaque ex *Etrusca* quoque disciplina desumpserit, quod *Macrobius* quoque observat, *lib. 3. Saturnal. cap. 1. in fin. & cap. 7. & 9.*

Verum, semota hac in præsens de *Magis* coniectura, dicamus tandem, aliam *Marciano* placuisse sententiam, aliam vero *Vlpiano* : qui *Marcianus* & alias ab *Vlpiano* *Pauloque* dissentire deprehenditur : *Tribonianum* vero, *Marciani* sententiam, primo quidem, *d. l. 6. §. ult. D. de rer. diuis.* retulisse, verum ilico, subiecta *l. 7. eod. tit. & l. 6. D. de religiosis*, prælata *Vlpiani* sententia, repudiasse.

Et sic, quod nonnullis recte placuit, ne *Enantiophanes* quidem istud iuris recte dici.



36765  
(H. 87649)

НБ ОНУ імені П. Мечникова

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова